



ΣΥΝΘΕΣΙΣ

Ex

DEUTERONOMIO

Disputatio XI.

DE VARIIS LEGIBUS DIVINIS

Ex 21. & 22. capp. Deut.

*Ad cuius Themat.*

*In Illustri Academia Vitebergensi*

PRÆSIDE

VVOLFANGO FRANZIO

SS. Theol. D. & Prof. publ. Præpo-

sito itidem templi arcis

*Respondebit*

MARTINUS ALTENBERGERUS

Gorlicensis Lusatius.

*Die 30. Aprilis in templo arcis Electoralis horis pomerid:*

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.

M. DC. VIII.

*Magnifico, Nobilissimo & Spectatiss:*  
Dn. IOHANNI EMERICO  
in Nickerisch & Newdorff / Sacri  
Palatij Comiti, & Civi Ro-  
mano,

NEC NON


*Prudentissimo, & experientia conspicuo*  
Dn. GEORGIO HEINTZEN  
Inclytæ Reipub. quæ est Gorlicij,  
Senatori dignissimo:

*Dn. & Cognato, & Affini, Mæcenati-  
tibus ac Promotoribus summo semper  
studio colendis,*

Hanc disputationem Theologicam, debitæ  
gratitudinis & observantiæ Symbolum,  
dedicare, & submissè offerre  
voluit, debuit



*Martinus Alttenbergerus  
Respondens.*





Σω̄ Θε̄ω.

THESIS PRIM A.



Aput Deuteronomij vicesi-  
muni primum membrum quinque com-  
prehenditur: quorum *primum* agit de  
expiatione cædis ignotæ, *alterum* de  
muliercula capta in bello, & quam hu-  
maniter sit ea tractanda, *tertium* de jure  
primogenituræ, à primogenito exosæ in  
primogenitum dilectæ conjugis, non  
devolvendoper Testamentum vel per modos alios, *quar-  
tum* de filio inobædiente, accusando apud Magistratum, ut  
tandem capitali supplicio possit affici, *quintum* de sepelien-  
dis maleficis, postquam ultimo supplicio fuerint affecti.

II. Ad PRIMVM quod spectat, sæpenumerò in oc-  
culto perpetrantur homicidia, quorum tamen auctores ma-  
nent ignoti vel ad benè longum tempus, vel in perpetuum.

III. In his igitur casibus, quidnam faciendum sit, populo  
suo consilium DEVS ipse sapientissimum suppeditabit.

IV. Posset autem aliquis hoc in loco sub initium, & for-  
san non immeritò, quærere, *an non DEVS, cui omnia sunt*  
*præsentissima, notissima, & possibilia* Iob. 28. v. 24. Esa. 37.  
v. 28. & c. 59. v. 1. istis ac similibus alijs atrocibus delictis quasi  
connivere videatur, cum auctores ignorari, nec in hominum  
notitiam, & lucem pervenire patiatur.

V. Nihil omninò ipsi posset esse *facilius*, quam mœchos &  
mœchas, clàm convenientes & coeuntes, statim in ipsis adul-

A 2 terij

Argumentum  
& partes capituli  
Deut. 21.

1. pars cap. 21.  
Deut.

Questio, cur  
DEVS arcana de-  
licta non patefa-  
ciat; cum tamen  
possit.

DEVS multas  
POSSET habere  
vias manifestæ  
di clandestinos  
furtatores, Larro-  
nes, fures, etc.



terij actibus, superimmissa arthritide, podagra, epilepsia, apoplexia, & fulminis percussione, omnibus & singulis hominibus prodere, sicut Ananiam & Saphiram Sodomitasque. Act. 5. Gen. 19.

*Vl.* Nihil ei esset facilius, quam grassantes in silvis & occidentes latrones lupis & canibus devorandos committere, ut 42. pueros ursis, 2. Reg. 2. idololatrias, veneficas, periuros, blasphemos, mendaces, scurras, oculorum lumine privare, aut surdos & mutos efficere, sicut Luc. 1. accidit Zachariæ ab his tamen immuni.

*Vll.* Nihil facilius, quam præfractos & contumaces liberos, & seditiosos rabiososque alios terræmotu absorbere, sicut Core, Dathan, Abiron, Num. 16.

*Vlll.* Nihil item facilius ei esset, quam maleficia commissa & quidem præterita undecunque Magistratibus per somnia, per visa, sicut olim futura, Prophetis revelare: sicut Christus Samaritanæ suas clandestinas scortationes manifestabat Ioh. 4.

*Ix.* Nihil facilius, quam scelerum quorumvis atrocium spectacula noctu ex tomno ad vocatos, interdiu singulari instinctu coactos superinducere ex vicinia testes.

*X.* Nihil denique facilius, quam conscientia latebras furij exagitare, ut propria confessionis indicio malefici sese spontè proderent, sicut Iudas faciebat Matth. 27.

*Xl.* Verum enim verò, primò non omnia ( præsertim pro nostro lubitu ) facit DEVS, quæ potest.

*Xll.* DEinde, DEVS protrahendi in apertum, & publicis supplicijs affiendi maleficos curam & officium commisit olim senioribus urbium seu iudicibus, hoc est Magistratui politico & Levitis: hodie tantummodo politico magistratui in N. T.

*Xlll.* Quoties igitur audiuntur delicta, sed ignorantur auctores, toties omnium maximam à se flagitari operam, industriam,

Responsio ad  
questionem. 1.

R. 2.

dustriam, celeritatem in auctoribus sagacissimè perscrutan-  
dis noverint imprimis illi, quibus Rerum publicarum fasces  
sunt concrediti: quique, loco & nomine DEI, ad judiciorum  
politicorum claves moderandos resident, ne in negligentia,  
conniventia, perfidia, periurijque notas & pœnas gravissi-  
mas incurrant.

XIV. Præterea quoties ejusmodi casus contingunt, toties  
universis & singulis incolis aurem vellit Dominus, ut cogi-  
tent, jam pollui & contaminari, nec, nisi supplicijs auctoru,  
expiari posse totam ipsorum viciniam.

XV. Univerſis igitur & singulis individuis hoc incumbit  
muneris, ut tunc temporis Magistratui Politico subsidiarias  
præbeant manus, delitescentiumque latibula inquirant, ma-  
nifestent.

XVI. Illud vulgata hominum opinione proditorium &  
infame habetur: sed in poli foro ascribitur pietati, honorem  
divinum & publicam tranquillitatem totis viribus & arden-  
tibus Zelis florentem præstare, publicasque & privatas pœ-  
nas seu ruinas à suis & aliorum foculis avertere satagenti,  
suasque consequitur recompensationes, ex regulæ istius, to-  
ties inculcatæ verbeque divino munitæ contrario sensu,  
quod nimirum *facientibus & conniventibus equalia sint desti-  
nata pœnarum genera.*

XVII. Etsi cognatos cognati propter naturalem amoris  
sympathiam ad tempus abscondere possunt, tamen cum à  
judicibus, qui sunt loco DEI, *subinterveniente juramenti  
sacramento*, urgentur, quid aliud consilij habebunt, quam il-  
lud: Plus obœdiendum est DEO, quam hominibus: Act. 4. 19.

XVIII. Sic igitur DEV S his casibus omnium & singu-  
lorum hominum explorat & exercet pietatem, obœdientia,  
diligentiam & fidem, ut omnes & singulos vel in hac vita  
communibus incendiis, pestium, bellorum, sterilitatum,

*Omnium & sin-  
gularum indivi-  
duorum officium  
eo tempore cum  
tales casus con-  
tingunt, quod  
nam sit.*

*Prodere malefi-  
cos an in foro po-  
li sit infame.*

*Prodere cogna-  
tos quando æ-  
quum sit.*

*Quo fine DEV S  
asocium crimi-  
num outtores  
quandoque ad  
tempus latere  
patiatur.*

calamitatibus implicare, vel in impœnitentia & protervia infidelitateque ista perseverantes in altera vita judicare necessum non habeat.

Plato de liberis  
erga parentes se-  
ditiosus &c.

Indicantes non  
debent temerè in  
pericula conjici  
& odium ad-  
versariorum. Vi-  
de ordinationem  
Augusti Electo-  
ris ecclesiasticam  
de visitatione  
& Superinten-  
dentia ecclesi-  
arum tit. Was-  
den Superinten-  
dentem. num: 12.

Quotidianum &  
grave crimen eo-  
rum, qui accusa-  
to facta & cri-  
mina negare iu-  
bent, utcumque a  
magistratu etia  
ex VERBO DEI  
conscientiæ ipso-  
rum fricentur.

Questio 2. An  
non sanguis pro-  
fluens ex cada-  
vere auctorem  
ignorum certò  
prodat.

XIX. Audiatur hic Platonis illud dial. II. de legibus: *Si quis, cum afflictus sit, deferre non potest, quicumque liber, audierit, magistratibus nunciet, aut improbus habeatur, & à volente quolibet damni accusetur. Si autem servus detulerit, liber esto. Quod si affligentis vel afflicti servus sit, in libertatem à Magistratibus vindicetur: Si autem alicujus alterius civis servus fuerit, pretium Domino publicè persolvatur: Cura verò Magistratibus sit, ne quis ei, qui detulerit, noceat.* Hæc ille.

XX. Etsi autem illo in contextu Plato præcipuè loquitur de impietate commissa in parentes, nimirum ab omnibus promiscuè judicanda legitimo judici, id quod tamen hodiè non faciunt omnes Christiani, Ethnicis iccirco millies deteriores, ne scilicet impunita maneant illa, tamen optimo jure, quomodo quævis alia scelera patefacienda sint, in eodem ipso nobis utilissimam admonitionem proposità esse putabimus.

XXI. Atque hinc judicandi capiant ansam singuli, de illis, qui homicidas notorios contra conscientiam sæpenumerò defendunt, eosdem factum perstrenuè & indefinenter pernegare jubent, strenuè & alacriter negantes ipsi strenuè & alacriter propter sanctum denarium defendunt.

XXII. Posset aliquis hoc ipso in loco adhuc aliam movere quæstionem, nimirum, *An non ex Physicis quibusdam indicijs politicis Magistratus eadem occultè perpetratam præsumere possit & debeat.*

XXIII. Henricus Ranzovius in responsione ad consolationem D. Chytræi commemorat de Christierno II. Rege Daniæ, quod quia semel aliquando feliciter processerat, in toto regno suo passus fuerit observari modum illum perscrutandi & cognoscendi cadum occultarum auctores, quando scilicet ad cadaver occisi sese præsentem sistere ordine coguntur



guntur omnes illi, quotquot actui homicidij præfuisse, interfuisse, aut adfuisse perhibentur, ut ex istis reus peragatur ille, quo accedente & adstante sanguinem cadaver undecunque sane, sive ex vulnere sive alicunde, stillare cœperit?

XXIV. Inquam sententiam alios multos sapientissimos concessisse comperimus: *nes defuerunt, qui eandem sibi defendendam susceperunt, his argumentationibus*: 1. quod sit occulta quædam virtus & antipathia inter occidentem & occisum: 2. quod sanguis recentius cæforum adhuc caloris aliquantulum conservet, qui calor humorem ipsum ebullire faciat, & in præsentia homicidæ ad exteriora propellat: 3. quod propter fortissimam homicidæ imaginationem, metuentis nimirum, nè ex indicio ipso proditus periclitetur, copiosiores & ferventiores spiritus invulnera cadaveris excurrant, vulnusque aut cadaver feriant, & hac pulsatione sanguinem proluciant.

XXV. Verum enim verò harum defensionum imbecillitatem conspicatus *Philippus Melanchthon*, potius, si quid horum aliquando contigit, divinæ, singulari & extraordinariæ providentiæ ascribendum censuit in *Physicis*, lib. 1. tit. de providentia.

XXVI. Sæpè autem ex occisi corpore intrinsecus vehementer adhuc calente, tamen nullus profluit sanguis, *ut ut præsentem habeat cæsores suum, quem etiam auctorem esse publicè per fide dignissima testimonia innotuit.*

XXVII. Nimirum quid opus est per tentationum signa & miracula à DEO extorquere, cum ex *ἀξιωματικῶν* testimonijs in terra veritatem excutere plus quam facilimè liceat.

Ergò

*Argumenta quorundam ad defendendam probationem occultorum homicidarum, si ad occisi cadaver sistantur.*

*Responsio cum imitationibus quibusdam notandis.*

*Sæpè præsentem ipso homicidæ nullus effluit sanguis.*

Sæpe ex aridis  
ossibus effluit  
sanguis, unde nõ  
malè clam occisis  
articuli quidam  
membrorum quo-  
rundam præscin-  
duntur & asser-  
ventur alicubi.

Quid & quantũ  
tribuendum pro-  
bationi homicida-  
rum, si ad cada-  
vera vel præscisa  
membra ducan-  
tur.

Questio 3. An  
minister verbi  
commissa sibi in  
confessione crimi-  
na revelare de-  
beat, cum jube-  
tur.

XXVIII. Ergò, si publicè notà sunt nomina & facta, ibi, ad nullam descendendam sibi esse hyperphysicam inquisitionem auctorum cædis, meminerimus: sed simpliciter cogitandum illud unicum, *ut innocens sanguis deceter vindicetur.*

XXIX. Sæpenumerò, *quod ibidem commemorat Chytraus,* ex arefacta manu (secundum alios etiam ex aridis ossibus) post decem & plures annos cruor aliquis stillatim prorupit, interveniente, præsentè, & tum, scelera sua spontè confitente homicida. Hoc scilicet extra ordinario opere testatum dare voluit **DOMINVS**, se omnia videre, in memoria divina eademque recentissima retinere, ac si heri accidissent, se item omnia vindicare, etiam secretissimè commissa.

XXX. Quin etiam his extraordinarijs & singularibus exemplis consolationem præbere voluit illam, quod accuratissimè & distinctissimè noverit, quæ sint ossa uniuscujusque defuncti, licet confusissima vel hinc inde projecta in cœmeterijs aut in alias urbes distracta conspiciantur, **ET**, quod in ultimo die aridissimis ossibus citius quam in ictu oculi carnem & sanguinem, adeoque vitã restituere valeat. Ezech. 37.

XXXI. Si verò aliquando proflueret sanguis, aliquo interveniente, *qui tamen eadem aliquam unquam à sese designat am- usque ad ultimum Spiritum pernegaret; nec alijs argui & suffici- cienter convinci posset istius sceleris testimonijs:* ibi **DEI** iudicio res tota commendabitur, quia sæpenumerò ad opprimendos innocentes vel revera vel *Φαινομένω 5 κακόζηλος* Satanas similia quædam tentat & perficit, id quod disputatione nona fuit ostensum exemplis alijs.

XXXII. Ergò nulla sunt Physica indicia, ex quibus de cædium architectis hariolari possint Magistratus politici.

XXXIII. Posset autem tertia quoque in hunc locum afferri quæstio, *quid faciendum sit ministro verbi, conscio cædis occulta, idque ex confessione propria homicida factã in confessione auriculari?*

Respon-

XXXIV. Respondent plerique, arcana, in auriculari confessione audita, non debere revelari: quod sint DEO ibidem indicata, qui, si placuerit, facillimè modum alium inveniet, ut in notitiam omnium veniant.

XXXV. 2. Quod sint servo DEI sub fide silentij concredita, qui nec conscientiam suam lædere, nec existimationem apud auditores perdere, nec alios, plura similia gravantia deposituros animo libero ad petendam consolationem, abstertere debeat: unde multò minus confessor arcana ex confitente inquirere potest: si enim confitens reticet, suo bono vel malo reticeat.

XXXVI. 3. Quia *Lutherus* in eandem sententiam propendere visus fuerit, quando Venetos sapienter fecisse scripsit, quod Monachum comburere voluerunt, qui mulierem confessam, se occidisse adolescentem quendam in coitu, prodiderat; quando item noluit parochum in iudicio perhibere testimonium de muliere, quæ antea ipsi fuerat confessa, quod infantem necaverat, quam etiam absolverat, sed tandem alijs modis negotio divulgato rea peragebatur:

XXXVII. Ita n. dicebat *Lutherus*: Mihi nihil confessa est, sed DEO: si DEVS celat, & ego celare debeo, ac simpliciter me aliquid audivisse nego, si quid Christus audivit, dicat.

XXXVIII. 4. Quia tantum in confessione minister est loco DEI, sed extra hunc respectum est unicus singularis testis, cujus depositione alioquin nemo damnari debet: ut, secundum hæc commemorata, *præstet, commissa in confessionibus scelera tacere, quam manifestare*. Vide etiam *Manlium* tit. de confels. & absolut.

XXXIX. Aliqui tamen videntur excipere peccata publica, quæ publicam Reipublicæ salutem & incolumitatem evertunt, ut coniuratio de prodenda patria, veneni & ignis injectio in aquas & domos, hæreticorum conventicula, ut

B

Danaus

Responsio.

*En gravissimis  
minister nihil  
faciat nisi de sen-  
tentia communi  
Collegiorum  
Theologicorum*

*Prima pars pro-  
cessus divini in  
causis quarum  
auctores igno-  
rantur.*

*Publice conferen-  
te sententia de oc-  
ciso, cuius auctor  
ignoratur.*

*Danaus* de potestate Ecclesiastica cap. 62: de quibus, pro cir-  
cumstantiarum varietate, quid ubi vis & semper sapienter  
pronunciandum sit & cautè, peritioribus commendamus.

**XL. SED** iam tandem expendamus processum à DEO præ-  
scriptum Israelitis, quem intra terram Canaan in cædium  
occultè factarum casibus sequi debebant isti.

**XLI.** Primo, ut apparet, & alioquin accidere confue-  
vit, *vult citissimè fieri concursum ex vicinis & circumiacenti-  
bus locis undiq; ad cadaver occisi hominis, & vult imprimis, ad-  
esse civitatum (ita quoq; pagorum) proceres seu Magistratus.*

**XLII.** Præsumuntur enim seniores seu civium & rusti-  
corum Magistratq; ædiles præ alijs cognoscere & obser-  
vare incolarum studia, mores bonos vel malos, itinera, ho-  
spites, peregrinantes, suspectos, item contractus, odia, ex  
contractibus prognatas altercationes, pugnas &c:

**XLIII.** Vult item Dominus ut in magnis illis concursi-  
bus vicinorum, vicinas operas mutuas præstantium, ipsi  
**SUPERIORES** sententias publicè conferant & discutiant, men-  
surentq; *cuinam pago vel civitati propinquius sit cadaver.*

**XLIV.** Non quaritur in hac lege pro more nostrorum  
seculorum, in quorum Magistratum districtibus seu juris-  
dictione seu regno jaceat cadaver: hanc enim ad rem non  
opus fuisse metiri usq; ad singulas civitates (seu pagos) quæ  
sunt circum interfectum.

**XLV.** Quando igitur hæc ipsa publicè fiebant multis spe-  
ctantibus, & colloquentibus, tum utiq; ex præsentium vul-  
tibus, vultuum coloribus, verbis, verborum contradictio-  
nibus vel ambiguitatibus, mensurandi tædio, & ex simili-  
bus circumstantijs multi multa animadvertere, item ex ijs-  
dem de nuperè peregrinatis hospitioq; exceptis non pauca ad  
plenam & perfectam inquisitionem necessaria colligere po-  
terant, quibus auctorem expiscabantur, tandemq; secun-  
dum legem dijudicabant.

In

XLVI. In portis n. & in agris tractata negotia in Politia Mo-  
saica, etiã plurimis concurrentibus, colloquentibus, visa & au-  
dita referentibus, quã maturimè & solidissimè expediebantur

Cur in politia di-  
vina prolixis  
processibus non  
fuerit opus.

XLVII. Quando verò ex vicinorũ collationibus diligentissi-  
mis auctorem per vestigare & vindicare non licebat, tũ Secun-  
do alloquitur DEVS *vicinos proximos, qui à plevisq; suspectio-  
res habentur, & vel in medio sui fovere vel scire aut adhuc resciri-  
scere posse auctorem presumuntur.*

Secunda pars  
processus divini  
in, & edibus, qua-  
rum auctores i-  
gnorantur.

XLVIII. Illis igitur tria injungebantur facienda: Nimirum  
primo optimam vitulam, quæ nunquã aravit aut jugum tra-  
xit, dabunt ex suis, eamq; adducunt *seniores* ad vallem aliquã  
sterilem & seminandis fovendisq; frugibus ineptam, ut ibi e-  
am maent, & paulatim putrescere paulatimq; consumi fi-  
nant: inde enim horridus efficiebatur locus ille & manebat in-  
cultus, subindeq; prætereuntibus factum tragicum in memo-  
ria refricabat.

XLIX. Monebantur igitur, ne labem conscientijs suis asper-  
gerent, sed auctorem proderent, ut justo supplicio affici pos-  
set, alioquin DEVM tali putredine morbisq; afflicturnum ip-  
sorum corpora, bellis omnia vastaturum, cadaveribusq; re-  
pleturum, sterilitatem agris ipsorum inducturum, tum qui  
fecissent, tum qui connivissent, nec revelassent.

L. Deinde accedent Levitæ atq; ex auctoritate DEI graviter  
totum populum de cavendis perjurijs & de gravissimis per-  
jurijs, conniventia, reticentia, negligentia, perfidia poenis,  
certius secuturis, docebunt.

LI. Tertio, omnium civiũ nomine seniores seu Magistratus  
politicivna cum Levitis publicè coram omnibus solenniter  
lavabunt manus, & hoc signo tanquam testificatione ex-  
terna innocentia suæ & purissima conscientia significabunt,  
se non secisse cædẽ, nec sibi de auctore deq; facto quicquã cõ-  
stare, se nihil prætermisisse, quod pertineret, ad diligentissimas

Lotio manuum  
ex populo Dei ad  
Ethnicos perve-  
nit, Vide de Pila-  
to Matth. 27, 24.

*Tertia pars pro-  
cessus divini in  
cædibus, quarum  
auctores igno-  
rantur.*

*Quæ hominis ef-  
fugiant diligen-  
tem inquisitionem  
& vindicationem, illa in  
DEI severitate  
incidunt horren-  
dam.*

*Altera pars:  
Deut. 21.*

*Chananei om-  
nis sexus, de-  
lendi, nisi pani-  
rentes maturè &  
dociles sese præ-  
berent.*

publicasq; inquisitiones, se tamen huc usq; nihil investigare & exploratum accipere potuisse, se non nosse, nec connivere, nec occultare.

LII. Denique his omnibus in conscientiam singulorum ritè, graviter, sufficienterq; in clamatis & finitis, Levitæ solenniter & publicè conceptis verbis orant DEVM, nomine suo, nomine seniorum, & nomine totius plebis, quoniam ipsis nec scientibus, nec consentientibus sed maximo opere dolentibus, & ignorantia suam publicè testificãtibus, hæc cædes contigerat, ne hunc sanguinè effusum suæ civitati imputet.

LIII. Hoc processu divino nihil sapientius excogitari potuisset, siquidem hac ratione omnium & singulorum animi & conscientia *sub metu maledictionum divinarum, sub publicarum & privatarum calamitatum interminatione*, nequid reticerent in gratiam ullius hominis, acriter feriebantur, & ad auctorem proferendum quam validissimè cogebantur.

LIV. Nec ulterius in tam gravibus negotijs ingenij humani potuisset progredi diligentia & industria: posteaque sceleris clam patrati vafricies occulta DEO commendabatur, & vindicanda remittebatur.

LV. Non autem in perpetuum impune habuisse, quæ ad benè longum temporis intervallum delitescebant crimina, sed tandem duplici cum confusione auctorum vindicata fuisse, exemplis scater quotidiana experientia.

LVI. IN SECUNDO declaratur, quibus conditionibus mulierculam Ethnicam pulchram, in bello captam, vir Israeliticus in uxorem accipere possit.

LVII. Vbi in principio distinctionem, inter Ethnicos Chananaeos & inter Ethnicos alios non Chananaeos, repetere est necesse. Nequaquam enim licitum fuisse, mulierculam Chananaeam indocilem & in impoenitentia perseverantem vivam relinquere, nedum in uxorem accipere ex Deut. supra disputatione 4. fuit explicatum.

Indoci-

LVIII. Indociles quippe & impoenitentes Chananæicū omnibus foeminis & infantibus ad internecionem simpliciter à DEO erant destinati, Et sæpius monebantur Israelitæ, ne misericordia afficerentur erga illos, quos DEVS per verbum (hodie per sanctas leges) calamitatibus & excidijs vult consecratos.

LIX. Aliarum etiam Ethnicarum muliercularum amores, puritatis in religione decipulas, passim execrantur & prohibent sacra scripturæ Num. 25. v. 1. 2. Esdræ 9. Nehem. 13. 2. Paral. 19. v. 2. & 21. v. 6. 13. Et tutissimum est, ducere uxores in DOMINO, h. e. in religione nobiscum consentientes, secundum Apostolum 1. Cor. 7. v. 39. neque ducere illas præsertim, quæ in fundamento religionis errant.

LX. Si tamen uxores, post contractum Matrimonium, in hæresin prolabantur, tum Apostoli consilium est sequendum 1. Cor. 7. v. 12. 13. nec dimittendæ, sed fovendæ, num per admonitiones forsan in viam reduci possent.

LXI. Quod igitur hoc loco Israeliticis viris datur potestas ducendi foeminas speciosas, ex alijs quam Chananæis Ethnicis ortas, nimirum in alijs bellis captas, *illud nihil aliud est, nisi indulgentia quadam militibus concessa, in compensationem fidelitatis & periculi, pro patria suscepti.*

LXII. Indulgentia verò ista limitata erat certa conditione, nimirum, ut per mensem integrum extranea captiva externis quibusdam Ceremonijs in domo domini, qui eam caput, exerceatur, num ex ijs vel possit displicere domino, vel spem præbere conversionis.

LXIII. Cum enim ex intima mutua conversationis consuetudine coniux fidelis ab infidele facilimè in religionem falsam seduci queat, omninò in contrahendis matrimonijs cautè agere, & ante contractum omnia tentare, jubet DEVS.

LXIV. *Externa ceremonia sunt quatuor, quæ formosam deformant, ut displicere incipiat: 1. si raserit casariem capitis:*

*Agentium aliarum præter Chananæos conjugijs otiam abstinere debent Iudei, si est metus seductionis.*

*Infideles dicitas deserere non licet.*

*Indulgentia data militibus Israelitis habet certos limites.*

Videtur expo-  
nendum esse, si  
fecerit unguis h.  
c. aluerit.

Cum sexu femi-  
nino temerarios  
& leues contra-  
ctus damnat DE-  
VS.

Tertis pars Deut.  
21.  
Primogenitura  
privilegia ha-  
bentur disputati-  
one. 8.

(posset etiam exponi, si coronam in capite radi curaverit.)  
2. si fecerit, preparaverit, id est, aluerit vel crescere sinet un-  
gues: (ubi pleriq; habent si præciderit unguis:) 3. si depo-  
suerit speciosam vestem, (in qua placebat & capiebatur)  
& assumerit aliam sine dubio Israëliticam: 4. si per mensem  
desseverit parentes, à quibus abstracta est.

LXV. His moribus & septimanis floridam faciei venusta-  
tem contaminabat, & aut domino displicebat, aut in reli-  
gionis negotio docilem sese præbebat.

LXVI. Si facilem sese exhibebat in discendis & credendis  
initijs pietatis Israëliticæ, fiebat uxor militis Israëlitici: *sin ve-  
rò displicere inceperat*, dimittenda erat liberrimè, ut pro lubitu  
cum alio de conjugio pacisci posset, nec licebat eam vel loco  
famulæ habere, vel alteri vendere aut donare seruo, vel a-  
mico pro serua, *quia afflictæ erat*, hoc est, à parentibus rapta, &  
falsâ spe matrimonij falsò lactata.

LXVI. Hanc nimirum curam captivarum habuit DOMI-  
NVS: à cuius mente & præcepto quantum descedant Chri-  
stianorum milites plerumq;, quando *jus & privilegium bel-  
li vocant*, cum contra voluntatem parentum sine omni con-  
tractu matrimoniali non tantum captivas sed & liberas abdu-  
cunt, ijsq; abutuntur, & pro lubitu dimittunt, donant, ex-  
pellunt.

LXIIIX. INTERTIO præcipitur de duabus uxoribus non  
æq; dilectis à marito *ipsarum communi & uno*, deq; utriusq;  
prole, ne scilicet *primogenitura privilegia pro carnali affectu  
adimat primogenito exosa, & conferat in primogenitum dile-  
ctæ parens*, sive per testamentum, sive per ultimam benedi-  
ctionem.

LXIX Non enim pro arbitrio humano defraudandi sunt ju-  
re suo & dono divino, quod ipsis natura, hoc est, DEVS in  
nativitate deferre, nec alijs concedere voluit.

LXX. Quæ regula in hæreditatû divisionibus vel sola tran-  
quilli-



quillitatem inter cognatos conservare poterit: & inter alia  
monet *ναρτὴ τὸ πρῶτον*, ne propter blanditiem novercarum ma-  
riti à liberis primi matrimonij prærogativas qualibuscunq;  
prætextibus in alios fraudulenter distribuant.

LXXI. *Patet ex hac illud quoq;*, non calu, sed singulari  
providentia DEI contingere, si quis primum, secundum vel  
aliud locum inter fratres aut sorores habet, ac singulare do-  
num DEI esse primogenituræ conditionem.

LXXII. *Patet itidem istud ex hac lege*, in polygamia raram  
fuisse concordiam, rarumq; amorem verum &c. Quomodo  
igitur res Oeconomicae crescere potuerint, sapientis esto  
judicium.

LXXIII. IN QUARTO agitur de castigatione filij in obæ-  
dientis seu rebellis, quem pater ad tribunal pertrahere, cri-  
minaliter ipse accusare, deq; ipsius incorrigibili contuma-  
cia testari ipse debet, *ut constet*, se invitum mores filij proter-  
vos hæcenus sustinuisse, nec diligentia quacunq; emenda-  
re potuisse, & ut huic desperato alijsq; pervicacibus liberis  
pudor & frenum incutiatur.

LXXIV. Inobædiens autem seu rebellis filius intelligatur  
qui non ex infirmitate seu imbecillitate judicij, sed ex malitiæ  
& protervia habitu peccat.

LXXV. Ipsum etiam peccatum non simplex intelligatur,  
sed studium commestationis & comotationis, ocij, lusus,  
libidinis, blasphemix & similia, conjunctum cum contem-  
tu admonitionum paternarum, & cum perseverante contumacia  
& indefinente pertinaceq; impenitentia.

LXXVI. Ante processum igitur criminalem præcedere de-  
buerunt gradus admonitionum, quos ex hoc ipso textu Deu-  
teronomij in novum testamentum transtulit, & in certa capita  
redegit ac explicavit Salvator noster *Matth. 18.* Con-  
tumax enim non est habendus, nisi qui gradus admoni-  
tionum ritè, hoc est ex Dei verbo exasperatarum, de obædi-  
entia

*Nemo casu pri-  
mus vel secun-  
dus inter fratres  
aut sorores*

*Polygamie in-  
commoda.*

*Quarta pars ca-  
pituli Deut. 21.*

*Contumax filius  
qui.*

*Gradus admoni-  
tionum*

*Est sacerdos plus  
diligebat filios  
quam DEVM  
3. Sam. 2.*

*Sancta severitas  
legis de occiden-  
dis inobedienti-  
bus liberis.*

*DEVS noluit  
dari ex epla, ut fi-  
lij interficerent  
parentes.*

entia debita genitoribus & de penis inobedientiae iteratos, sciens, superbe, praefractè, & pertinaciter contemserit.

LXXVII. Quando igitur gradus admonitionum bis ter saepiusque repetitos suspenso naso deridet filius contumax, tunc ex mandato DOMINI parentes jubentur plus diligere DEVM, & hoc verbum ejus, quam filium, oblivisci & deponere cogyas, propter honorem & amorem in DEVM, favoremque DEI potius quam filij gratiam conservare.

LXXIIX. Postquam ergo filij pertinacem contumaciam ex parentum solida testificatione & sufficientissima alia inquisitione cognoverint iudices, lapidibus reum & convictum necabunt.

LXXIX. Sancta haec fuit severitas. 1. quia post DEVM summa & illibata debet esse auctoritas parentum, qui in educando difficultatibus infinitis excruciantur. Si enim assurgendum est coram quavis canitie, & honoranda cuiusvis senis facies *Levit. 19. v. 32*, cur non multo magis honorandi & audiendi sunt parentes. 2. quia liberi, cum ex indulgentia parentum peccata sua vident excusari, extenuari vel occultari, animum obfirmant & strenue in peccando progrediuntur, & tandem in aeternum pereunt. 3. quia privatae institutionis neglectior ratio totam politicam depravat, ut ex malis filijs omnes pessimis civibus pleni fiant oppidorum anguli.

LXXX. Hac igitur lege parentes discebant in educatione liberorum sese magis praebere solertes & industrios, cives instigabantur singuli, ne liberis vicinorum conniverent, sed malitiam eorundem mature indicarent parentibus ad vitanda majora mala, liberi singuli alieno periculo cautiùs mercari & vitam corrigere compellebantur: denique poena inobedientiae majoribus sceleribus, ut pulsationi, & caedibus erga parentes commissis praescindebatur ansa *Levit. 20. v. 9. Exod. 21. v. 17. Prov. 20. v. 20. Matth. 15. v. 4.*

LXXXI. Dimanavit autem lex illa ad Ethnicos, unde est illud

illud Platonis dial. 11. de legibus: Illi, qui parentes minus quam decet colunt, nec eis sunt obsequentes, per parentes vel alios delati ad senatores & curatores connubiorum, vinculis & verberibus coercendi, viri non excedentes 30. fœmina 40 annum ætatis.

LXXXII. A minori autem ad maius progressi apud Platon. lib. 9. de legibus decernunt, si possibile esset, SÆPIUS ALIQUEM MORI, quod iustissimum esset, sapius parricidam interfici, & ut parricida (sic matricida, immò ut postea cæpit usurpari filiorum interfecto & fratricida) nudus, trahatur ad trivium, ab omnibus lapidetur, denique ut ultra regionis fines portetur & insepultus maneat, ut regio hac ratione purgari queat.

LXXXIII. Hadrianus istos homines bestiis objiciebat: Romani culeis insuerunt vivos, ac in flumen projectos cælo, sole, aqua, terra privarunt. Justin. in institut. de public. judic. addit & vult, ut in culeum simul includatur canis, gallus gallinaceus, simia, vipera.

LXXXIV. IN QUINTO & VLTIMO agitur de executione sententiarum in criminalibus. Quo in loco notandum ante omnia emphaticum illud, non esse vitæ privandum, nisi qui dignus fuerit morte.

LXXXV. Utrum autem dignus sit morte reus, ex facti circumstantiis cum sensu legis genuino & ad æquitatem collatis elucebit, utrum videlicet non ex proposito sed casu, non sæpius sed vix semel, aliquid fecerit, utrùm parentes an alij fuerint percussi, utrum rem cõmunem, utrum sacram & ex loco sacro abstulerit, utrum non interdium sed noctu furatus fuerit, utrum ex necessitate an ex affectu.

LXXXVI. Paulus Fagius annotat, quod quinquies licitum fuerit damnato ex itinere & à loco supplicij redire, & si quid incidisset, ad ipsius excusationem proferre, quod quilibet pro eo invito etiam potuerit excusationem meditari,

C

quod

Quam execrandum sit parricidij crimen.

Quinta pars  
Deut. 21.

quod non interficeretur nisi coram omnibus in loco supplicij repeteret confessionem apertam, quod publicè proclamati fuerint testes, qui factum viderint: quod tandem ex misericordia vino omnes sensus quasi ademerint misero, ne mortem metueret juxta illud *Prov. 31. v. 6.*

LXXXVII. Quatuor erant genera capitalium suppliciorum, *lapidatio, combustio, gladius, strangulatio*, quæ aliter exercebantur in politica divina, quam in nostratibus.

Lapidatio in  
V. T.

LXXXVIII. *Lapidandus* ex loco non admodum alto, wie ein Nabenstein/ vincitis manibus præcipitabatur ab altero testium: & si adhuc vivus, superiniecto grandi lapide, ab altero teste petebatur: denique, si ne sic quidem vitam amittebat, à toto Israël lapidibus necabatur.

Qui fuerint lapidati.

LXXXIX. Id accidebat masculorum concubitoribus, coëuntibus cum matre, noverca, nuru, item cum quovis pecore, blasphemis, idololâtris in 18. Deut. nominatis, violatoribus sabbati, filiis contumacibus, sponsis quæ rem habebant cum alijs Deut. 22. v. 23. quæ etiam vel ante ædes Patris, vel ad fores portæ civitatis hoc supplicium sustinere egebantur, ut omnes ab hac iniquitate absterrentur.

Combustio in  
V. T.

XC. Combustio fiebat immisione elychnij incensi in os, quod viscera statim comburebat: nempe in filiam Sacerdotis scortatricem Levit. 21. v. 9, in incestuosos, exceptis ijs, qui rem habuissent cum matre, noverca, nuru, de quibus supra.

Decollatio in  
V. T.

XCI. Decollabantur quicumque homicidæ voluntarij, quocumque instrumento vel modo interfecissent, sive in ignem, foveam, aquam, haminem protrussissent.

Strangulatio.

XCII. Strangulabantur mappâ collo à duobus compresso plagiarij, senes contradicentes consistorio, Pseudopropheta, adulter, traducens aut contaminans filiam sacerdotis. Immo Rabbi Salomon annotat semper intelligendam esse strangulationem, quoties simpliciter iubetur aliquis occidi.

Lapidati

XCIII. Lapidati insuper suspendebantur in furca seu trabe erecta circa vesperam, quia isti præ alijs maxima & atrocissima commiserant crimina.

Lapidati suspendebantur insuper.

XCIV. Iubentur autem ante Solis occasum sepeliri, ne, quod Rabbi Salomon apud Lyram rectè annotare videtur, daretur occasio hominibus, ut loquerentur diutius de istiusmodi criminibus: seu, ut alij, quod tales conspectu hominum quam indignissimi essent.

XC V. Posterioribus temporibus pro suspensione crucifixionem fuisse usurpatam, apparet ex historia N. T. Et, quia Christus nostra peccata in sese derivavit maxima & innumera, ideo pro nobis factus est maledictum: De qua re Paulus ad Galat. 3. hunc ipsum locum citare voluit, *Maledictus quisquis pendet in ligno.*



XCVI. CAPITE VICESIMO SECVNDO DEUTERONOMII leges septem necessarix coacervantur.

XC VII. In PRIMA per aliquot species inculcatur generalis regula: Quæ tibi (*tux uxori, liberis, cognatis, affinibus, pecoribus, vestibus, suppellectili, & quibusvis rebus alijs*) vis fieri (*sive ab amico, sive ab inimico, tam à peregrino quam ab incolâ, sive propinquus sis sive longinquus*) alteri etiam feceris, Et, *Quæ tibi tuisque non vis fieri, alteri etiam ne feceris.*

PRIMALEX capit. 22. Deut.

XC VIII. Ac primum FRATRIS seu PROXIMI nomine hic non tantum intelligendum esse fratrem uterinum, aut cognatum, aut vicinum, aut civem, aut peregrinum, nobis benè cupientem, sed etiam inimicum, illud expressè declaratur Exod. 23. v. 4. 5. ubi de inimico diligendo præcipitur illud, quod hoc loco de fratre diligendo præcipitur.

Proximus hoc loco usurpatur, sicuti à Christo Luc. 10.

XCIX. Vtrūq; Christus etiã cõprehendit, repetit & explanat Luc. 6. 31. prout vultis ut vobis faciãt homines vos etiã facite

Veteris & Novi testamenti eõsensu pulcerrimè de diligendis inimicis.

Photiniani.

*eis similiter, & vers. 27, Diligite inimicos vestros: Vnde iterū patet, non esse audiendos novos Photinianos, quasi Christus Christianis salvari cupientibus novas perfectioresque leges observandas promulgaverit.*

**C.** DEINDE cum proximi pecoribus & vestibus adeoque causis & rebus ipsius alijs omnibus, si quando eas periclitari videntur & periculum impedire possunt, agere iubemur, *sicut exoptamus cum nostris & de nostris rebus fieri ab alijs, nimirum, quia nos cupimus pericula & fraudem omnis generis averti à nostra vita, corpore, liberis, amicis, familia, fama, pecoribus, hortis, agris, rebus amissis, causa, negotijs, aut de iisdem praemoneri ut idem sinceræ benevolentiae officium amico & inimico nostro praestemus, etiamsi nemo videat aut unquam experiatur hominum, etiamsi nemo à nobis petat unquam.*

*Etiam non cogitatus, ac inscijs debet benefacere, malaque ipsorum avertere.*

**CI.** Tunc enim DEVS videt, quod privatim & inscijs amicis vel inimicis in causa ipsorum boni facimus, certò, certò gratiam gratia compenlaturus, ijs praesertim, qui ad exemplum ejus ipsius (solem super bonos & malos oriri facientis) non tantum amicis sed & hostibus benefacient.

**CII.** Peccant igitur 1. qui vim inferunt fraudulenter vel aperte, 2. qui cum possint, vim illatam & fraudem, ut etiam mala alia imminetia non depellunt, quorum utrumque gravi vindicta divina dignum est.

*Cur etiam inimici sint diligendi.*

**CIII.** *Finis caritatis amici & inimici est egregius, & quidem duplex: 1. quod amicos faventes reddimus nobis faventiores 2. quod aut beneficijs demeremur inimicos, ut nobis scum redeant facilius in amicitiam, aut ita placamus, ut si non statim sinceros amicos, tamen mitiores experiamur eosdem inimicos.*

**CIV.** Praeterquam autem quod hoc pacto DEVS odium & crudelitatem in nobis & in alijs extirpare & amicitias augere & renovare, voluit, simul unicuique suum saluum &

incolu

incolumē præstari adversus amicos hypocriticos & inimicos apertos in animum inducit.

**CV.** Obsequijs igitur & officijs, non injurijs & vexationibus amicos devinctiores tibi reddes, inimicos reconciliabis, quia quos sævitia & crudelitate, fraude & vi territos subegeris vel irritaveris, hos ut semper metuas necesse erit, quos vero tua tibi pietas misericordiaque conciliaverit, illos perpetuò fidos invenies, apud *Æneam Sylvium lib. 1. cap. 26.* super comm. Panorm.

**CVI.** *Specialia hujus regula generalis exempla per se patent:* Prima quod tenemur pecora errantia vel in viam vel ipsam domum domini, si eum exploratum habemus, reducere, aut in nostris domibus, si de possessore certi nihil constet, tam diu servare & custodire, donec quærenti Domino restituantur.

**CVII.** Idem quoque faciendum est ijs, qui res amissas quas-cunque invenerint, nimirum ut vero possessori restituant easdem, aut, si nesciant cuius eas sint, vel ad quosnam ex pertineant, domi fideliter servent, per publicam proclamationē significant, ut publicè innotescat, tandemque quærentibus proximis, res suas reddant: (aut, quod lubi intelligi & addi potest, apud magistratum deponant.)

**CVIII.** *Si quidem invenisti, & non reddidisti, rapuisti, quantum potuisti fecisti; quia plus non invenisti, ideò non plus rapuisti: qui alienum negat, si posset & tolleret: DEVS cor interrogat non manum.* ex Augustini lib. 50. homiliarum, homil. 9. & serm. 12. de verbis Apostoli. C. 14. qu. 5. c. 6. *Si quid invenisti.*

**CIX.** *Anima igitur, quæ negaverit proximo suo rem commendatam, vel depositam, vel rem amissam invenerit, & negaverit, immò insuper peieraverit, 1. ea reddet totam rem seu totum capitale, 2. & propter injuriam fratris turbati insuper quintam capitalis partem, illi, qui commendaverat, deposuerat vel amiserat: 3. Præterea, quia in legem etiam DOMINI deli-*

*Obsequijs & officijs non iniurijs & vexationibus conciliantur amici, reconciliantur inimici.*

*1.  
Errantia pecora vel reducenda vel custodienda.*

*Inventas res singuli restituere, aut apud magistratum deponere debent.*

*Exemplum de hædo furivo vide Tob. 2. v. 21.*

*Triplex  
Pena in lege divina super eos qui inventa non reddunt.*

Deo non suffi-  
ciat oblatum  
sacrificium, nisi  
amissum restitue-  
retur & fratri  
iniuria affecto sa-  
tisfieret prius.

Si mortuus sit,  
qui aliquid ami-  
sit, quid tum fa-  
ciendum.

Pecora proximi  
laborantia sunt  
adiuvanda.

quit, sacrificium offeret pro delicto illo malitiæ, idque omne  
secundum legē DOMINI Levit. 6. v. 2. 3. 4. 5. Num. 5. v. 7.

CX. Non autem prius sacrificabit peccator ille, quam inven-  
tum restituerit & de damno illato satisfecerit proximo ex colla-  
tione verluum 5. 6. 7. capituli 6. Levit. cui omnino & in hoc  
& in alijs casibus opus est illud Matth. 5. v. 23. Si offers mu-  
nus tuum ad altare & ibi recordatus fueris, quia frater tuus ha-  
bet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare,  
& vade prius reconciliari fratri tuo & tunc veniens afferes mu-  
nus tuum.

CXI. Si non amplius inter vivos supersit is, cuius amissas  
res fraudulenter intercepti, nec etiam reliquerit legitimū  
hæredem, sacerdoti (vel fisco Ecclesiæ, vel pauperibus) resti-  
tutio fiet, & tamen præter hoc offeretur pro delicto com-  
misso sacrificium Num. 5. v. 8.

CXII. Ex qua lege divina desumptum est illud in 6. Decre-  
taliū & l. 4. distinct. dist. 15. apud Magistrum ex Augusti:  
Neque quisquam putet, qui rem alienam iniuste abstulerit, quā  
reddere potest, de illo peccato pœnitere & veniam consequi, nisi re-  
stituatur ablatum. Quam diu enim res propter quam peccatum  
est, non redditur, si reddi potest, non agitur pœnitentia sed fingitur.  
Hæc ibi.

CXIII. Non meretur remissionem peccatorum restitu-  
tio, sed quia in contritiōe oportet deponi peccata contra cō-  
scientiā, utique quam diu alienū, quod reddi potest, retinetur  
contra conscientiam, pœnitentia vera non agitur. Vera autē  
fides non est, ubi conscientia in pollutionibus perseverat. V-  
bi vera fides non est, ibi nec vera est pœnitentia.

CXIV. Altera species est, de asinis & bobus proximi pro  
laptis, ex via erigendis, in onere sublevando adiuvandis, ex  
luto extrahendis.

CXV. Monet autē in genere, ne nos abscondamus vel negemus,  
quoties fratrem seu proximum nostra opera quam præstare  
possi-



possimus, indigere animadverterimus, sed ut pro viribus omnibus omnibus eundem sublevemus, nimirum cum vel ipsum vel alios ex ipsius familia adultos vel infantes corruisse, & currus in luto profundo hærere, equos lassos extrahendis oneribus impares esse viderimus, & quæ his similia esse possunt infinita alia, siquidem ideo pauca enumerantur specialia, ut vel similia alia vel minora & majora per analogiam ex iisdem secundum naturalem æquitatē & prudentiam dijudicentur.

CXVI. Cum quo iterum Christi pulcherrima conspirat admonitio Matth. 5. v. 41: *quisquis angariaverit ad milliare unum, abi cum eo duo*: nimirum ut sponte ad plura simus parati, quam à nobis postuletur.

CXVII. Perpetua memoria dignum est, quod *Alphonsus Arragonum Rex Capuam proficiscens* in itinere de equo desiliit, reliquis omnibus quiescentibus, & rusticum adiuvit in extrahendo asino ex luto, rustico caudam, rege pectora apprehendente & animal erigente, apud *Anton. Panorm. lib. 1. de dictis & factis cap. 26.*

CXVIII. Ceterum allegoricè multo magis unusquilibet. nemine excepto (quia hoc non tantum pastoribus verbi aut magistratibus politicis incumbit munus) alterum (quemcunq; in spiritualibus errantē, & in peccatis gravibus sese voluntantē, in viā reducere, suisq; admōitiōibus corrigere debet.

CXIX. Quod autē pleriq; illud non attendunt, sed conivent, spectatores sese præbent nec alios emēdare aut irritare satagunt, iscirco peccatorū alienorū iniquitati cōmunicant, communibusq; pœnis implicantur, nimirū tunc, cum à peste vel incendijs multi vicini corripuntur & affliguntur, vel qui similes vindictæ divinæ modi esse solent.

CXX. IN SECUNDA LEGE prohibetur, *ne mulieres superinducant & gerant arma virorum, nec etiam mulieres vestibus virorū, vel viri vestibus mulierū induantur.*

CXXI. Ratio hujus prohibitiōis est, ut i. honestas & dignitas & differentia

Ex specie una de alijs iudicium formare docet  
DOMINVS.

Singuli ciues, rustici, adulti, iuvenes, peregrini, incolæ coguntur ex lege divina corrigere malos quosunque, in quos in urbibus, aut ubicunq; locorum alibi incidunt.

Cur in communibus pœnis etiam pij luant. R. quia malos antea non corrigebant.

SECUNDA  
LEX Deut. 22.

utriusque sexus inviolata servetur & publicè constet: 2. ut vitentur libidines, proditiones, cædes.

Peregrini ignoti  
caute suscipien-  
di.

CXXII. *Sub permutatione vestium* primum maximas libidinum confusiones peractas fuisse docent historia, *Iohannes enim de la cerda in libello de mulieribus* recenset exemplum Achillis, qui ne ad bellum Troianum proficisci cogeretur, sub vestitu fœminæ ad Lycomedem à matre missus filiam regis illius stupravit. Et Julius Cæsar ideo repudiavit Pompeiam, apud quam in sacris (*quibus solis licebat interesse fœminis*) in templo sub vestitu fœmineo deprehensus fuerat P. Clodius, teste *Plutarcho in vita Ciceronis*.

CXXIII. Sub habitu etiam fœmineo Leucippum cum Daphne venatum fuisse, Herculem Omphalæ serviisse, Iohannem VIII. ad Pontificiam dignitatem ascendisse scribunt auctores. Et de viro nubente ut fœmina viro vide *Camera-rium in succiss. lib. 2. cap. 42.*

De Semiramide  
fœmilis apud Iu-  
stin. lib. 1.

CXXIV. Quin itidem sub his larvis sæpe contigisse sci- mus homicidia, unde *apud Dionem ad Augustum Athenodo- rus* sub habitu fœmineo importatur & gladiū in ipsum strin- git non seriò, sed ut deinceps insidias sub istis larvis metuere disceret Augustus.

CXXV. DEVS igitur ipse absque dubio propter has & alias gravissimas causas, vestium discrimina pro sexuum di- scrimine ab initio ordinavit, & hoc loco adversus illud di- scrimen vestium peccantes, adeoque naturæ ordinem im- mutantes coram DOMINO dicuntur fieri ABOMI- NABILES. Ac hunc tenorem secuta synodus Gangren- sis anathemate ferit mulierem, quæ virilibus utitur vesti- mentis.

CXXVI. *Excipiuntur & excusationem merentur*, qui ad in- iustas insidias effugiendas, & in alijs necessitatibus urgenti- bus aliena sumunt arma, & alterius sexus induunt vestimen- ta, sicut

ta, sicuti *Theopompus rex Spartanorum* captus mutavit habitum cum uxore, & ex custodia elapsus fuit.

**CXXVII.** Allegoricè significatur, mulieri tacendam esse in Ecclesia & politia, nec viris effæminatis concedenda munera publica.

**CXXVIII.** IN TERTIA LEGE præcipitur, ut nidum avis invenientes, captis pullis matrem avolare permittant.

**CXXIX.** Cujus negotij rationes afferrì possunt tres: 1. Physica, ut mater dimissa libera plures postea pullos excludere adeoq; avium gentem in usum totius generis humani multiplicare queat: ne illud cum detrimento aliquarum provinciarum & posteritatis desoletur.

**CXXX.** 2. Ethica, ut sciamus hominibus quidem concessam esse dominationem super bruta, sed limitatam, nimirum talem, quam exercere debeant sine indiscreta immanitate, præter necessitatem maledicendi, verberandi, prægravandi, luxandi, mutilandi, vulnerandi, fame & siti & alijs modis occidendi, nimirum, ut dictum est, sine omni necessitate, utilitate & causa.

**CXXXI.** Vult etiam **DEVS** nos scire, se habere curam brutorum secundum illud Prov. 12. v. 10. & ut discat justus cognoscere animam sui jumenti, *der gerechte erbarme sich seines Bihes* / ut vertit **D. Lutherus**.

**CXXXII.** Super quod Proverbium **Buxdorffius** in *Schola Iudaica* cap. 6. commemorat, Iudæos non capere cibum, nisi prius alimenta sua jumentis suis dederint.

**CXXXIII.** Idque alijs etiam modis testatum fecit, quando Num. 22. v. 32. angelus numerat plagas datas a sinæ, cum Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19 Christus narrat discipulis in vico, qui contra ipsos erat, statim in ingressu in bivio foris asinum ligatum (non liberum) reperiri, super quo nemo unquam sederit, ut discamus, **DEVM** stabulorum & iumentorum similem

D

*In Comedijs opera danda, ne sub ulla larva aut alia permutatione, committantur culpe similes.*

**TERTIA LEX** Deut. 22.

*Hominum potestas in bruta est limitata.*

milem quotidie habere rationem & sollicitudinem, videre & improbare plagas frustra datas pecoribus.

**CXXXIV.** 3. Ethica iterum, ut à minori ad majus concludere incipiamus; Si erga bruta decet homines exercere clementiam, mansuetudinem & misericordiam, multò magis eam decebit homines exercere erga homines. *Crudeles certè erga pecora etiam sunt crudeles in homines Gen. 10. v. 9. Camer. lib. 2. succ. cap. 79.*

**CXXXV.** Allegoricè itidem indicatur, parcè utendum esse opera amicorum, nec minis aut verberibus extenuandos servos, ut utrique sapius nobis prodesse queant. Ita quoque nec hostem nimis lædere, nec aduersus imbelles nimium ferocire, nec incumbenti utili operi molestiam exhibere, inprimisque matribus in sobolis educatione fideliter laborantibus parcere decet.

*Cur parentibus  
matri aui pro-  
mittatur corpo-  
ralis benedictio.*

**CXXXVI.** Obadiantiam huic legi debitam præstantibus v. 7. promittit **DEVS** corporalem benedictionem & longævitatem vitæ, nimirum 1. quia ipsi parcè utendo avibus (ita de similibus cogitandum est animalibus) posteritati & alijs benè cupiunt & prospiciunt 2. à mansuetudine in aves incipiunt & student excellere in mansuetudine erga quosvis homines miseros & felices passim.

**QVARTA** Alex  
Deut. 22.

**CXXXVII.** **IN QVARTA LEGE** jubentur cancellos vel murum facere in tectis per circuitum Israëlita.

*Tecta domorum  
in palæstina qua-  
lia.*

**CXXXIIX.** Tecta enim in Palæstina non erant acuminata, sed plana, instar platearum, in quæ foris ascendebatur, ubi conveniebant homines, superque domos negotia tractabant. 1. Sam. 9. v. 25. Samuel & Saul colloquuntur super tectum: 2. Sam. 16. v. 22. Absoloni extenditur tabernaculum super tectum & ingreditur ille ad concubinas Patris sui in conspectu totius Israël. Judic. 16. v. 27. super tectum tempore adducti Simsonis reperiuntur circiter tria millia virorum & mulierum, qui Simsonem

*nem ludentem spectare volebant, Matth. 24. v. 17. qui super te-  
ctum est non descendat, ut quicquam tollat ex domo. Luc. 12. v.  
3. quod in aurem locuti estis in conclavibus, predicabitur supra  
domos*

**CXXXIX.** *Necessario igitur requirebantur cancelli seu  
muri, quibus incolumitati negotiantium super tecta prospici-  
ceretur, ne ex incuria delapli vel in morbos inciderent incu-  
rabiles, vel vita etiam privarentur.*

**CXXXX.** *Sibi simile quoque dictum esse putent omnes, quot-  
quot exaedificant cellas, cloacas, laqueatas domos, portas, sca-  
las, pontes sublicos vel lapideos, majores vel minores, ut  
omnia firmiter & apte parent, ne posteritas inde detrimen-  
tum experiri habeat.*

**CXLI.** *Sibi simile dictum esse cogitent, quibus viarum mu-  
niendarum vices sunt demandatae, ubi semiruptulos pontes,  
& saepe horum loco vix oblonga & rotunda ligna reperiunt  
senes & debiles peregrinantes, ideoque negligentioribus cu-  
ratoribus omnia mala imprecantur, quod num frustraneum  
fit apud DEVM, mox in specie in hoc capite & infra copi-  
osius in genere declarabitur.*

**CXLII.** *Sibi simile dictum esse existiment, qui in quotidia-  
na conversatione domestica minus cautos sese, & alijs an-  
sam praebent, in tenebris prolabendi in foveas non bene con-  
tectas, impingendi ad fenestrarum & januarum tabulas non  
rite clausas, & quae nimis multae quotidie occurrunt decipu-  
lae similes.*

**CXLIII.** *Qui enim in aedificatione, & in curatione via-  
rum, & in quotidiana conversatione non satis sunt circum-  
specti, & proximi calamitates non praeveniunt, illi sanguinis  
reatum domui (sita sibi & familiae suae) attrahere versu 8 gra-  
vissima voce DEI pronunciantur. Quid autem hoc sit, superi-  
us fuit expositum.*

*Circumspectio  
necessaria & pia  
in aedificijs ex-  
truendis.*

*Levis haec vise  
negligentiae pe-  
na divinitus gra-  
dis constituta.*

D e

Cum

Questio.

CXLIV. Cum autem hæc ita sese in foro poli habeant, etiam facile erit iudicare, quo loco habenda sit Ethnici hominis disputatio, Ciceronis nimirum in lib. 3. de officijs: *¶* Vendat ædes vir bonus propter aliqua vitia, *utrum vitia sint indicanda emtoribus*, & concluditur, quod sint indicanda, ne alioquin ipse celans venditor damni subsequenti in ruina meritissimè reus peragatur.

CXLV. Quam in rem, quam graviter, quam sapissimè, quam contra omnem conscientiam Christi sanctissimo nomine gloriantes prævaricentur, quid attinet multis exaggerare, & sufficiat hoc unum, hanc ipsam esse apud plerosque magnarum infelicitatum non exiguam causam aliquam, præsertim si damna nimis magna (ex reticentia) oboriantur.

QVINTA lex  
Deut. 22. de vitandis rerum variarum confusio-  
nibus.

CXLVI. IN QVINTA LEGE triplices prohibentur rerum confusiones: 1. *ne Israëlita* in vineam vitibus confitam aliorum fructuum semina spargant: 2. *ne agricolentur* simul in bove & asino, quorum *ille* mundis, *hic* immundis animalibus accensetur, & quidem bos tardior, asinus velocior, ille robustior, hic verò imbecillior est: 3. *ne mixta* utantur veste, nimirum contexta ex lino & lana, nostri plerumque vocant *Parchent*.

CXLVII. *Rationes prima prohibitionis sunt*, 1. quod non sint nimis avari à terra exigendi fructus, sed boni consulendæ divinitus ipsi attributæ vires, & quales quales possit refundere proventus. 2. quod diversæ planta sibi inprimis præripiant succum, adeoque una obsit incremento alterius. 3. quod inprimis natura videatur abhorrere à confusione liquoris cum aridis fructibus.

CXLVIII. 4. Accedit quod primitiæ ex tali confusa vinea DOMINO non satis sincerè & fideliter offerri queant, si quidem diversi fructus diverso tempore maturescunt & colliguntur, Volebat autem DOMINVS, ut ministris debita stipendia sine fraude & integra fideliterque persolverentur,

rentur, id quod idem hodie cupit fieri *1. Tim. 5. v. 18. 1. Cor. 9. v. 13.* Dignus est operarius mercede sua: Servientes altari vivunt de altari.

**CLIX.** *Ratio secunda prohibitionis est, 1. quod sit magna inæqualitas inter bovem & asinum, quorum ille habet passum ampliolem & fortitudinem majorem, ideoque si copulentur in opere agriculturæ, asinum vehementer urgere, prægravare, & enervare poterat.*

**CL.** Allegoricè indicabatur, æqualibus laboribus tantummodo æquales adjungendos & aptissimos esse.

**CLI.** *Rationem tertiæ prohibitionis afferunt aliqui hanc, quod voluerit DOMINVS distinguere hoc pacto populum suum ab Ethnicis: Ethnicos enim in suis sacris militiam cœli adorantes mixtis vestibus indui solitos fuisse existimant.*

**CLII.** Alij verò propter dignitatem summi sacerdotis hoc contigisse putant, cui scilicet soli mixtas gerere concesserat Dominus, quod ita velit DEVS non omnia quibusvis etiam in vestitu concedenda, sed etiam quoad materiam discrimen extare cupiat apud diversos pro diversa dignitate.

**CLIII.** *In genere his tribus prohibitionibus illud quoque innuitur, in negotio religionis non trahendum esse jugum cum infidelibus, in quotidiana pœnitentia non infundendum vinum in veteres utres, non resarciendas veteres vestes novis petijs, ut etiam in alijs quibusvis conversationibus non laborandum esse duplicitate, sed in simplicitate, sinceritateq; ambulandum coram DEO & hominibus.*

**CLIV.** *De religione exemplum habemus in Salomone præter DEVM verum idolis ita favente, ut templa ipsis extrueret 1. Reg. 11, in Samaritanis DEVM cœli & idola amantibus 2. Reg. 17, in ijs qui tempore Eliæ claudicabant in utrumque latus 1. Reg. 18, in Christianis, qui etiam idolethytis scientes vescebantur tempore Pauli 1. Cor. 11, in ijs qui INTERIM,*

D 3

tempo-

*DEVS iterum hæc lege suam curam erga pecora prædit.*

*Hypocritis in religione politicis- que conversationibus odio & inferno dignis.*

tempore Caroli V. sine tergiversatione recipiebant apud  
Sclaidanum.

CLV. De *pœnitentia simulata* quid requirimus exempla,  
cum hodie confitentes peccata & cras sacram Cœnam par-  
ticipantes quamplurimos videamus, qui tertio statim die ple-  
nis velis ad priora peccata redeunt.

CLVI. Nihil etiam execrabilius illis', qui in *Politicis con-  
tractibus* duplicem habent linguam, in quorum verbis, operi-  
bus & affectibus nullam unquam reperire tibi licitum fuerit  
concordiam.

SEXTA lex  
Deut. 22.

CLVII. IN SEXTA LEGE jubentur sibi Israëlita  
funiculos in fimbrijs facere per quattuor angulos pallij sui  
quo operiuntur.

CLIX. Vbi *primum* colligitur à doctis, tunc habuisse Iudæ-  
os talia pallia, qualia alba (Chorroct.) adhuc in quibusdam  
Ecclesijs induunt ministri concionaturi ex suggesto, con-  
stantia nimirum ex duabus partibus discretis, anteriore &  
posteriore, quarum quælibet infra habet duos angulos.

CLIX. DEinde angulis pallij infra annectere jubentur I-  
sraëlita funiculos, quæ sint tessaræ discernentes Israëlitam  
ab omnium aliorum populorum homine.

CLX. Hujus autem rei maxima erat utilitas. Cum enim  
per totum mundum increbuisse fama, *Israëlitas* esse illos, quos  
*miraculosè ex Ægypto extraxisset*, seseque illis manifestasset  
*VERVS DEVS*, quotiescunque in hominem Israeliticum ex  
*vestituetiam notum per totum orbè incidebant Ethnici*: ibi divi-  
nitus oblatam occasionem discendi doctrinam de VERO  
DEO amplecti poterant, si vellent, ut iterum obstruatur os  
illis, qui *DEI* vocationem in V.T. universalem non fuisse præter  
& contra gravissima argumenta fingunt.

Iudæis datur sin-  
gularis vestitus  
qui facile cogno-  
scitur, ut quia de-  
bebant esse Præ-  
ceptores totius  
mundi, ex illo  
facilime agnosce-  
rentur.

CLXI. Ecce autem quibus docendi alios de veritate  
religionis negociū hoc pacto commendetur? utique non solis  
ministris verbi, sed unicuique fideli & DEVM verè timen-  
ti ho-



ti homini. Vniuscuiusque inquam hoc est officium, etiam hodie, non erubescere de vera religione, sed meminisse professionis suæ & libera data commoda occasione confutare idololatrarum errores.

CLXII. Superstitiosi Pharisei captantes auram popularem, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias atque acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes & sedentes pungerentur, & hac ratione de lege DOMINI monerentur.

CLXIII. IN SEPTIMA LEGE proponuntur sex casus matrimonialium negotiorum, de quibus ordine sequitur.

CLXIV. PRIMVS CASVS est, de pœna mariti falso traducentis & diffamantis conjugem longè post nuptias, quasi non invenerit in ea VIRGINITATES, ut habet vox Hebræa: ubi si Pater & Mater coram senioribus seu iudicibus urbis virginitatem demonstraverint, diffamator triplici pœna iubetur affigi, nimirum 1. verberari plagis 39, 2. centum siclos numerare parentibus, 3. uxorem falso traductam retinere in perpetuum.

CLXV. Probè autem expendendum venit ab initio, legem hanc loqui de marito incipiente odisse conjugem non statim in nuptiis sed post nuptias, id quod verba hæc clarissimè docent, 1. si duxerit vir uxorem, 2. si ingressus fuerit ad eam, *συνοικησας*, hoc est, ut conjux conjugi cohabitaverit, 3. si (postea) odisse eam ceperit, nimirum, quod suspicetur ante nuptias cum ea aliquid ab alijs factum, idque ex malorum rumorum, appetituum, affectionum & similium rerum circumstantijs, ut ad nuptias gravidâ accessisse vero simile putet: 4. si itidem post aliquod tempus quaesierit occasiones, quibus dimittat eam: 5. si tandè cum nihil aliud reperiat, objecerit ei nomen pessimū seu infamaverit eam: quæ certè capita quinque distinctè ponuntur & posteriora quatuor per *vau* à primo & à se invicem ideo separantur, ut longi temporis actiones illæ fuisse intelligantur.

Cum

*Etiam idiote alios errantes pro occasione data corrigere tenentur.*

*Superstitio Pharisæorum tempore Christi.*

*Septima lex Deut. 22. iterum septem includitur admonitionibus.*  
1. De diffamatione conjugis nuper ductæ.

*De quo viro & de qua sponsa loquatur hic casus.*

CLXVI. Cum igitur post odium adversus novam maritiam conceptum non possit invenire prætextum sufficientem, ideo ultimo, obscuram ambiguum & disputabilem infamationem profert, *quasi uxorem non reperisset virginem in nuptijs.*

CLXVII. Et hoc ita sese habere, manifestè colligitur ex formula accusationis, in qua non exprimuntur quinque membra jam exposita, sed saltem tria, 1. Accepi uxorem, 2. sum ingressus ad eam, 3. non inveni in ea virginitates: *Nimirum subticendo* 1. se eam odisse sine sufficientibus causis, 2. se ideo tantum quærere occasiones dimittendi eam, Cure nim non maturius, ante odium excitatum & animum alienatum accusavit eandem, nisi jam post sparsos rumores & post circumstantias externas affectionum animadversas?

CLXVIII. *Hic sensus prioris partis in lege confirmatur ex processu, quem parentibus diffamatae præscribunt sacrae litteræ in hoc ipso loco, nimirum 1. parentes tollent, vel rapiant vel accipient filiam elocata(m) (utique ad se, in domum suam, in custodiam suam) ut cum castis & fide dignis fœminis, medicis item, & Levitis de ejusdem moribus & affectionibus conferendi, deque objectionibus mariti diffamantis & de sparsis rumoribus vel similibus circumstantijs inquirendi occasionem habeant. 2. Tandem virginitatem filia proferent ad seniores seu iudices in porta civitatis, & expansis vestimentis coram & à senatu petent, ut diffamatorem pœna debita compescat.*

CLXIX. DEinde hîc quæritur, quid sint בְּתוּלִים Bethulim, id est, *virginitates*. Nam in toto textu, vox hæc SIGNA non reperitur expressa, unde nec D. Lutherus eam in suam versionem intromittere voluit.

CLXX. Totum negotium decidit versus vice-simus hujus capituli, Si verum est verbum illud, & signa virginitatis, ut vulgo vertunt, hoc est, *virginitates in puella NON FUERINT*

RINT INVENT *Α, μὴ ἐυρεθῆν*. Quomodo enim non poterunt inveniri, nisi tunc cum inquirebantur? sed quia post nuptias & post diffamationem inquirebantur, ideo talia fuerunt signa virginitatis, seu tales fuerunt virginitates, quæ non nisi post nuptias & post diffamationem poterant inveniri.

CLXXI. *Inveniebantur autem virginitates* seu probabatur innocentia diffamata, ex confutatis falsis rumoribus, ex explicatis appetituum affectionibus, & circumstantijs similibus, per homines peritos & justos, ex demonstrata perpetua sanctitate vitæ, & morum, de testificationibus honestissimorum vicinorum, ex declinatis virorum colloquijs & congressibus, ex pudore verecundo, ex computato partus mense, idque processu juridico ordinario moderato, in quo contrarium diffamationis ad oculum proliciebatur.

CLXXII. Sape, quantumvis anxie quæsitæ, tamen nullæ inveniebantur virginitates seu *בתולהים* vel quod rumores non essent vani, vel quod mensis partus non congrueret, vel quod similes prægnantes causæ interciderent.

CLXXIII. Denique coram senioribus seu iudicibus civitatis in porta publicè 1. expandere seu distendere seu diffindere seu frangere debent ipsi parentes, 2. *Samla* vel *Salma* *ימאלין* quamcunque vestem externam, secundum Avenarium, vel pallium, secundum Munsterum, *לפני* ad faciem, secundum Avenarium, vel ad furorem apud Munsterum.

CLXXIV. Hoc est, parentes post inventas & clarè deductas virginitates seu probatam filia sponlae innocentiam externâ tali debent uti ceremonia, nimirum pallij distensione seu fractione provocare adversarium, ut de stupro, ab alijs illato, clarius ream filiam peragat, adeoque testificationem tam clarâ refutet, vel eadem externa ceremonia pallij fracti seu distensi seu expansi iudices irritare adversus improbum diffamatorem, eò acrius nimirum vindicandum.

E

Vita-

Post diffamationem Mariti, & parentibus inquirebantur innocentie sue filie, diffamata à Marito.

Quomodo inquirentes & inventæ fuerint innocentie filie, falsò diffamata à Marito.

Quando inquisita, sed nulla inventa fuerit innocentia filie accusata à Marito.

Ceremonia externa, post innocentiam probatam exhibita.

CLXXV. Usitatum enim fuit, inquit Lutherus super hunc locum. Israelitis, externas ceremonias vestium adhibere, & excutere vestimentum in minis, scindere vestimentum in indignationibus. Sic Deut. 25, 9. jubetur adimi calceamentum vivo fratri, cum non excitare vult defuncto fratri semen.

CLXXVI. Non igitur afferebant parentes alia indicia sordida & incerta, ut ea vocant & rejiciunt ipsi Medici & Theologi præstantissimi. Columbus in Anatomicis & Capivaccius in medicina practica lib. 4. cap. 21. Augustinus lib. 1. cap. 19. de civitate DEI, Lutherus super hunc locum Deuteronomij, Astexanus lib. 2. de lege divina tit. 45: deinde secundum Lyram nec ullus maritus ullam uxorem diffamare ausus fuisset, si parentibus domi in promptu talem esse probationem præscivisset aliam.

Probatio mulieris suspectæ  
Num. 5. miraculosa, & quando adhibita fuerit.

CLXXVII. Quæ verò Num. 5. extat divinitus specialiter & solis Israelitis mandata probatio per sacrificium zelotypiæ, illa fiebat post aliquot conjugij initi & consummati annos, quando nimirum, secundum explicationem Fagij super Tiargum Onkeli, maritus uxorem cum viris suspectis & interdictis indefinenter conversari deprehendebat, testimonijsque sufficientibus confirmabat.

CLXXVIII. Tum igitur innocentia vel culpa miraculose prodebat, non privatim, sed apud sacerdotem ut hæc quoque discerent mariti, ne in uxores propter cæcas suspiciones ipsi sæviant, sed judicia Pastoribus & Magistratibus committant, ne acerbiorum sibi suam vitam reddant, contra admonitionem Ecclesiastæ cap. 9. v. 9.

Quomodo olim hæc multe fuerint probationes innocentiam per ignitos vomeres &c.

CLXXIX. Quod autem Cunegunda Heinrici Bavariæ Casaris uxor suam pudicitiam Pabebergæ probatura XII. ignitos vomeres calcavit nudis pedibus, inq; duodecimo sublitit, id præter & contra DEI speciale verbum fuit factum: Ab. que dubio tamen ibi DEVS propter gravissimas causas, ardentissimorum multorum precibus publicè rogatus, suam præsentiam cerni voluit.

Nec

CLXXX. Necdubium est, in similibus exemplis multa occurrisse præstigiola, & nobis hoc tempore nihil nisi ordinarios processus sequi licet, quia rectè & specialiter sublatae sunt hæc probationes C. 2. q. 5. Meneram, item Consulisti.

CLXXXI. Porrò ex pœnæ diffamanti sponsam vel novitiam conjugem suam gravitate fati apparet, DEO summo opere abominabiles esse calumnias & diffamationes, quibus sexus fœminei fama & existimatio honesta læditur.

CLXXXII. Gravius quippe hærent & nocent diffamationes in fœminam, quàm in virum sparsæ criminationes: ideo gravi pœnâ opus erat.

CLXXXIII. Nimirum 1. plagas 39. cum loro vitulino excipiebat publicè in porta civitatis: 2. Siclos 50. seu 13. aureos numerabat focero: 3. amittebat privilegium alijs maritis indultum, ita ut eidem repudium dare nunquam auderet.

CLXXXIV. SECUNDVS CASVS est de pœna sponsæ corruptæ, quæ tanquam virgo nupserat.

CLXXXV. Quando maritus sufficienter comprobabat, uxorem, quæ ipsi tanquam virgo nupserat, prius ab alio fuisse compressam, nec vel à parentibus vel ab ipsa uxore, vel ab alijs ejusdem accusationes refutari poterant, tum propter ipsas ædes paternas, in quibus custodiri & honestiùs vivere debuisset, lapidibus obruebatur.

CLXXXVI. Causa tantæ severitatis fuit duplex: 1. quia hæc in ipsa custodia parentum & propter instantes nuptias animum sumserat pravum decipiendi sponsum.

CLXXXVII. Et plerumque tales multò magis postea sub matrimonij velamento sine fine mœchantur: Neq; aptæ sunt institutiõis prolis matres, cū virgines adulteria didicerint.

CLXXXVIII. A sancta autè educatione infantium & à sanctis moribus fœminarum non modica pendet reip. salus, cùm maxima è contrario serpat turpitudine, quando matres impudicæ cum lacte impudicitiam soboli instillant. 2. quia toti

*Diffamationes  
fœminei sexus  
Deo maximopere  
diligent.*

*SECUNDVS  
casus Deut. 22.*

Israëli scandalum & exemplum pessimum struendarum occultarum technarum ea alijs plurimis puellis præbuit.

LXXXIX. Ceterū in harum terrarum judicijs corruptæ per alios sponsæ separantur à sponsis: in jure vero Canonico retinere jubentur. Quæ autem in lege divina fuerint pœnæ corrumpentium sponsas alienas mox sequetur.

CXC. *Discant* inde parentes suas filias circumspiciendius à contaminatione corporis & morum custodire; *discant* virgines ita peragere primos annorum suorum flores, ut de ipsis usurpari queat illud *Mimi: Quenam est casta? de qua mentiri fama veretur.* Quin etiam allegoricè *discamus* omnes, ut præparemus nos sistere Christo puram virginem in doctrina & moribus 2. Cor. 11. v. 2.

TERTIVS casus  
Deut. 22.

CXCI. TERTIVS CASVS est de pœna adulteriū capitali luenda ab adultero & ab adultera, sive utraque fuerit in coniugio constituta persona, sive alterutra saltem.

CXCII. Ratio tantæ severitatis est duplex: 1. quia adulterium est contra fidem conjugalem, quæ est de substantia coniugii. Adulter enim animum alienæ coniugis à marito fleat, sibi que magis obsequentem & faventem reddit atque obstringit, unde sæpenumero coniuges coniugibus insidiantur. 1. Cor. 7. v. 4. *vir non habet potestatem corporis sed uxor, & vice versa.* 1. Cor. 6. v. 16. *qui agglutinatur scorto unum corpus est cum ipso.*

CXCIII. Altera est, quia per adulterium peregrinus hæres inter legitimos hæredes reponitur, ut habet pientissima & gravissima dissertatio apud *Siracidem cap. 23. à vers. 21. usque ad finem.*

CXCIV. *Alia pœna constituta fuit*, quando quis adulterium commiserat cum ancilla, quæ non ex Israëlitico sanguine procreata erat *Levit. 19. v. 20.* Tunc enim ambo vapulabant, non occidebantur, nec tamen iccirco stuprata libertatem consequuebatur, sed serva manebat.

Eth

CXCV. Etsi autem in sese peccatum unum & idem est, five ab Ethnica five ab Israëlitica committitur, tamen gravius punitur in Israëlitica, quæ exactius noverat voluntatem Domini, ideoque duplo vapulabat, *Luc. 12. v. 47. & 48. Qui non novit, & fecit digna plagis, cedetur plagis paucis.*

CXCVI. Ceterum quam tragicas clades experiantur arcana adulteria, illud alterius loci est & temporis declarare.

CXCVII. **QVARTVS CASVS** est de poena infligenda desponsatæ, cum patitur sese facile (in urbe, pagus, in sylva vel alibi, ubi inclamare aliquos; & à vicinis quibuslibet liberari posset) corrumpi ab alio five marito five cælibe: Hic igitur adulter cum adultera lapidibus obrui debet.

*QVARTVS casus  
Deut. 22.*

CXCIIIX. Expressè autem hoc in loco **DESPONSATA** nominatur **VXOR**, siquidem consensus non concubitus facit matrimonium: ex quo fundamento *Iosephus vocatur vir Maria, Maria uxor Iosephi Matth. 1. v. 18. & 19 & 20 & 24.*

CXCIX. Æquissima est severitatis hujus quoque ratio, 1. quia desponsata frangit fædus iacrolandè initum cum sponso: 2. quia stuprator animum sponsæ alterius corrumpit. Non facile tentabitur scelus hoc, ubi tam acerba ipsi constabit prohibitio.

CC. **QVINTVS CASVS** est, quando desponsata stupratur invita, in agro seu locis ejusmodi, quæ non frequentantur ab hominibus: Præsumitur enim tunc inclamasse liberatores, sed frustra: Stuprata igitur absolvitur, sed stuprator morti adjudicatur, quia corruptam fecit alterius sponsam, & quia malo exemplo nocuit.

*QVINTVS casus  
Deut. 22.*

CCI. **SEXTVS CASVS** est de simplici, ita vocata scortatione, cum cælebs stuprat puellam, non desponsatam. Ibi tria à stuprante postulabantur: 1. stupratam sibi in uxorem retinere cogebatur, si consentiebat pater *Exod. 22.*

*SEXTVS CASVS  
Deut. 22.*

v.17. 2. non poterat uxori illi suæ unquam dare libellum repudij: 3. patri puellæ numerabat dotem 50. siclorum pro injuria ex latione puellæ, in ipsum Patrem redundante: quia si nec ducere auderet, nec in parato haberet nummos ad solvendum, servitio omnia compensare cogebatur. *Hac lex Exod. 22. v. 16. ita recensetur: Cum se uiderit quispiam virginē quæ non est desponsata & cojerit cum ea, dotando dotabit eam sibi in uxorem.*

CCII. Itaque non fideliter ea pervenit ad Athenienses, apud quos aut ducere aut dotare solummodo tenebatur stupratam stuprator.

CCIII. Quomodo autem ex negantibus stupratoribus veritas sit inquirenda, disputatione quadã supra saltem innuimus, sed latè declarabimus circa postrema Deuteronomij capita. De pœnis occultarum libidinum etiam alio in loco.

SEPTIMVS  
Casus in Deut. 22.

CCIV. SEPTIMVS & VLTIMVS CASVS agit de gradibus prohibitis, de quibus *Levitici 20.* prolixas DOMINVS leges proposuit: Ut ita sanguinis reverentia non tantum sit naturalis, sed in primis & gravissimis alijs de causis divinitus mandata.

Sanguinis reverentia partim est naturalis, partim divinitus mandata.

CCV. *Naturalis* ideò dicitur, quia reliquæ sanguinis sunt in propinquis nostris, cum quibus propter illas ipsas naturali amicitia copulamur, & iccirco ad amicitias latius latiusque diffundendas, novasque & alias instaurandas in matrimonium remotiores personas, (*non parentes, non patruos, non fratres & sorores, ut homines jam antea satis nobis obstrictos,*) quaerere tenemur.

CCVI. *Divinitus autem mandata* est propter hanc insuper causam, cum parentes eorumque proximi liberis sint loco DEI, ne paterna superioritas per conjugalem paritatem absorberetur, si filiam duceret parens, aut materna dominationi filij subiceretur, si mater filio nuberet, cum uxoris caput sit maritus.

Ac



CCVII. Ac quia hæ rationes non sunt simplici modo ceremonia-  
les, sed naturales, ideo etiam leges de prohibitis gradibus, non sunt  
Mosaicæ, nec unquam à Christo vel Apostolis abrogatæ, sed natura-  
les, pertinentes ad totum genus hominum. Illarum enim fundamē-  
tum mature in paradiso proponitur à DEO verbis his: *relinquet homo  
patrem & matrem & adhærebit uxori suæ*, Quin etiam Levit. 18. & 19.  
Aegyptij & Chananæj puniuntur quod antè repetitas has leges com-  
miserant incestus.

CCVIII. Hac ipsâ item de causa ante promulgatam legem Mosis  
Iacobus patriarcha maledicit filio Rubeno propter incestum com-  
missum Gen. 49: *nec licet ulli hominum adversus tantas sanctiones dispen-  
sare, nisi illi, à quo ipsæ sanctiones sunt profectæ.*

CCIX. Cujus rei specimen quoddam habemus in collatione duo-  
rum locorum Levit. 19. 16. Deut. 25. 5. &c. Ibi præcipitur, ne quis nudi-  
tatem uxoris fratris sui revelet, hic verò absque dubio ex inveterata  
inter populum DEI consuetudine, iterum indulta, frater defun-  
cti fratris viduam ducere jubetur, & notum est exemplum in hi-  
storia Ruth. c. 4. v. 9. ut etiam Matth. 22. 24. Marc. 12. Luc. 10. citatur à  
Sadducæis mulier, quæ ex hujus legis vigore nupserat septem fra-  
tribus ordine.

CCX. Ceterum aliter fieri non potest, quin breviter hæc sit sen-  
tentia utriusque legis *ὁμοῦ καὶ ἀλλοῦ* extruenda: in politia divina post in-  
dultam veterem ipsorum consuetudinē non licitum esse matrimonium  
cum fratris defuncti viduâ, cum defunctus post se reliquerit liberos:  
licitum verò conjugium esse cum defuncti fratris Vidua, si defunctus sine  
hæredibus discesserit.

CCXI. Præterea licet defunctus frater sine sobole deceffe-  
rat, tamen *nec adhuc concedebantur nuptiæ fratri superstiti cum  
Viduâ fratris defuncti*, nisi frater superstes & ipse careret cō-  
juge, undè dupliciter peccavit Herodes Matth. 14. Marc. 6.  
Luc. 3. quia vivente primâ conjugē duxit aliam & quia vivē-  
tis fratris sui duxit, vel potius rapuit conjugem.

CCXII. *Vnicuique finis* hujus seu indulgentiæ seu legis inter Iu-  
dæos captatæ, & nunc certis conditionibus restrictæ divinitus,  
fuisse videtur, ut familiæ, quarū duces & capita erāt primoge-  
niti in politia sacra eò firmi, stabilirentur & cōservarentur.

Cogebatur

Prohibiti gradus  
toti mundo sunt  
prohibiti.

Quomodo relin-  
queret homo pa-  
rentes, si cum ip-  
sis copularetur.

Solus DEus po-  
tuit Israëlitis di-  
spensare adver-  
sus 7. præceptum  
in Aegypto quæ  
solus illud dedit  
præceptum.

Conciliatio dua-  
rum legum con-  
trariarum de  
gradibus propin-  
quitate.

Finis legis Deut.  
25. 5.

CCXIII. Cogebatur quippe parēs naturalis filio ex tali matrimonio creato nomen defuncti patris legalis imponere. Ex quo ipso fundamento Ioseph sponsus Mariae duos habuit patres, legalē Heli Luc. 3. 23. naturalem Iacobum Matth. 1. 16. quē admodum hoc pulcrē explicat Nicephorus l. 1. c. 11.

Quid factum fuerit, si viduam defuncti fratris ducere noluerit superstes frater.

Morale legis ceremonialis de ducenda vidua fratris defuncti.

Lex Deut. 25 s. hodie non amplius observari potest.

CCXIV. Si viduam defuncti fratris ducere nollet superstes frater, tum in præsentia iudicum Vidua 1. solvebat calceamentum ipsius, ut indicaret hac cerimonia, suā præcociā fratrem vivū renuentē amisisse jus intrandi in hæreditatem fratris sui, & nominabatur dōus ejus *domus discalceati*, 2. spuebat in faciem, ut significaret, quod fraternū affectum deposuisset.

CCXV. Habebat enim hoc morale in sese lex illa, quod fratres, cognati & affines viduam & orphanos defunctorum cognatorum & affinium diligentissimē, tanquam suas uxores suosque liberos curare debeant, ut hoc pacto familiæ & Respublicæ crescere possint.

CCXVI. Augustinus l. 32. contra Faustum allegoricē interpretatur, quod quilibet prædicator ita debet in Ecclesia laborare, ut pro nobis olim defuncto fratri Christo sulcitet lemen, quod suscipiat nomen Christi, & dicatur Christianus.

CCXVII. Hodie à nobis lex illa purè putè Mosaica amplius observari nequit, quia non amplius tam præcisa distinctio dominiorum in uno loco est servanda, ut nec familiarum, propter quam utramque causam etiam ante legem videtur usitata Israëlitis fuisse consuetudo illa Gen. 38: licet, ut ex eo ipso loco conspicitur, ægrè eidem plerique sese subjecerint, quod violentiorem esse iudicarent.

CCXVIII. Deum præpotentissimum rogamus, ut nostri seculi homines harum & aliarum bonarum legum maiestate & meditatione in sanctæ vitæ & casti pudoris amorem clementissimè deducat.

Finis, & laus Deo.

94 A 7382

ULB Halle

3

002 183 692




Sb.

VD 17

21,7.99 Bd.







Σ Ί Ν Θ Ε Ω  
Ex  
DEUTERONOMIO  
Disputatio XI.  
DE VARIIS LEGIBUS DIVINIS

Ex 21. & 22. capp. Deut.

*Ad cuius Themata*

*In Illustri Academia Vitebergensi*

PRÆSIDE

VVOLFANGO FRANZIO

SS. Theol. D. & Prof. publ. Præposito  
itidem templi arcis

*Respondebit*

MARTINUS ALTENBERGERUS  
Gorlicensis Lusatius.

*Die 30. Aprilis in templo arcis Electoralis horis pomerid:*

WITTEBERGÆ

Typis Cratonianis, per Ioh. Gorman.  
M. DC. VIII.